

III.

NEOVIDENSIS

Nro 22. (*Neovidensis* Nro 45.)

Londini , 21 Maji , hujus anni , ex omnibus germanis mercatoribus ibidem habitantibus maxime senex , annos 85 natus , J. A. Rücker , relicto 400000 librarum sterlingicarum patrimonio mortuus est , qui in tanta rerum abundantia pauperum non erat oblitus , verum complures quotannis aluit , ut autem laborare valentibus occasionem merendi suppeditaret , varias in suo praedio fecit ex proposito mutationes :

Hunc ad campos elysios transvecturus Charon ,
isthoc nobis consignavit

*Colloquium Politicum , de Locutione ,
et Silentio suo tempore adhibendis .*

Elysium -- Meum .-- Die Veneris 15 Junii 1804. (Neov. 1 Junii.)

Sententia :

Loqui est argentum. Tacere aurum.

Alcorani cap. 121.

In horto electorali Schvecingensi Manhemi-
um inter , & Heidelbergam erectum stat tur-

cicum sanum, quod inter alias hanc continet inscriptionem: Loqui est argentum, tacere aurum. Hoc apophtegma desumptum est ex Alcorano, qui liber licet pro Turcis tantum conscriptus sit, complectitur tamen practica, cuilibet homini utilia monita, uti paulo ante allata docet sententia.

Sunt quidam loquaces, qui semper sermocinantur, semper garriunt, quin unquam aliquid dicant. Sunt alii bene educati Domini, qui quotiescunque alios invisunt, toties tempestatem exartuant, observationes de ea faciunt, sicque latissimum sibi porro quoque confabulandi aperiunt campum. Hi cunctos praesentes tantis, tamque exquisitis obruunt humanitatis declarationibus, ut quilibet merito addubitet, quomodo iis aequae eleganter respondere possit. Alii praeterea mera quaerunt acumina, & facetias, tamque copioso norunt suas narrationes perspergere sale, ut non satiemur eorum argutiis, quin potius in risum, & admirationem rapiamur.

Verum est adhuc alia species hominum, qui se sapientissimos nominant; atque isti magni, & scientifici viri volunt videri; hi defendunt sententias bono communi societatum adversas; derisui habent sanctissimas consuetudines, utilissima instituta explodunt, & qui sint, luculente probant. Verba eorum splendent ut argentum, dico ut argentum, non autem uti aurum; hi obscurant aureas dispositiones, earumque aurum, seu bonitatem nolunt manifestare. Hi profecto mit-

tendi forent Schveeingam ad delubrum Turcicum, iisque imponendum, ut Alcorani sententiam ponderent, alteque menti imprimant: Loqui est argentum, tacere aurum.

Si omnes veritates, dicebat quidam magnus vir, manu tenerem, multum deliberarem, an inter homines spargendæ essent. Non oportet, est hoc uniuscujusque officium, omnes veritates propalare, ad eas enim capiendas non sunt omnes homines apti; per id iis noceretur, redderentur infelices. — Tacere est aurum.

Tristi tandem experientia docti agnoscimus falsa esse principia, quæ spatio 10 annorum disseminabantur, illorum enim fructus non possunt digeri. Ingens, & commune malum fuisset præpeditum, si sapientes nostri monito Alcorani: Tacere est aurum, morem gessissent. Interim hodie adhuc nonnulli Naturalistæ torvo spectant oculo quasdam hominum inæqualitates; vident certum genus hominum, utpote Artifices, Doctores, Nobiles, & Milites non tantum a quibusdam legibus civilibus esse magnam partem solutos, sed etiam ab ordinariis oneribus exemptos, imo præterea peculiaribus prærogativis ornatos, dum alii, videlicet Agricola, Opifex, & Mercator, his juribus destituitur, leges autem custodire, & onera præstare cogitur. Observant certa officia, vel potius homines in officiis, uti sunt: Magistri centus Aulici, Professores, Officiales, Ministri, non modo annua stipendia habere,

verum & auctoritate, & titulis, atque præcedentia gaudere, & certis externis honorum signis uti, adoque hunc & illum gerere insignia, deferre stellam & ordinem; dum aliis ex incertis opificii redditibus vita toleranda est, & absque omni externo civilis dignitatis honore ingloriis vivendum. Adimadvertunt quibusdam virtutibus, & meritis in certo munere aut statu varia extra ordinem præmia decerni, civesque his instructos ad summum amplitudinis culmen ascendere, illisque, dum vivunt, præcipua jura obtingere, vita fun-ctis vero statuas, aliaque monumenta poni. Dum alii vitam sine honore traducunt, & mortui oblivione sepeliuntur.

Ad has rerum dissimilitudines Naturalistæ sanguis denuo effervescit, eumque ad plenam contra omnes sociales, & politicas institutiones seditioem concitat. Has etenim præ omnibus aliis naturali, & civili hominum æqualitati quam maxime adversari existimat. Hac de causa omnem statum publicum, cujus pertinaci libidini easdem adscribit, nefario odio persequitur.

Verum potestne homo, qui se in omnis rei naturam indagasse jactat, ignorare, has inæqualitates, si abusus, qui utique, sicut ubique, ita etiam hic irrepere queunt, tollantur, valde naturalibus rationibus, & motivis inniti? Nam, si primum diversitas statuum in Republica ut necessaria agnoscitur, admittendum quoque est, cuilibet statui, ergo etiam Artificibus, Doctoribus, Nobilibus,

& Militibus concedendas esse illas immunitates, prærogativas, & favores, sine quibus suum finem, ob quem existunt, vel plane non possent, vel non rite assequi. Atque ista fuit causa, cur his statibus tanta commoda, & libertates sint collatæ. Itaque non perspicio, quamobrem, dum modo ubique in hoc genere in Agricolas, Cives, & potissimum Mercatores tanta fit profusio, quamobrem, inquam, de Artificibus, Nobilibus, & Militibus tam parce, tam hostiliter cogitetur; nullum est adeo leve commodum, nullus adeo tenuis favor, quo hi non deberent privari, contra nullum est ita magnum emolumentum, nulla ita insignis gratia, quæ illis non esset obtrudenda.

Sed ubi est illa Artificis, Eruditi, Nobilis, vel militis felicitas, ob quam illis exigua civilia commoda, & favores invidemus? Artifex, qui tres vitæ partes inter curas, & famem improbo labori impendit, ut artem suam ad aliquem perfectionis gradum adducat, ultimo vitæ tempore ex labore manuum victitat, aut ne fame plane pereat, exiguum trahit annuam pensionem. Eruditus, qui 10 annos in Scholis, tres, vel quatuor penes Universitates in miseris insumsit, intervallo plurium annorum afflictum, & contemptum privatum Magistrum egit, sæpe apud asperam, & simplicem familiam, tandem in fine acquirit aliquam miseram Parochiam, vel hac etiam miserabiliorem Pædagogiam. Nobilis, si a suis majoribus nullam adipiscatur

hæreditatem, qua habita procul dubio more aliorum facile est exultare, cogitur una cum suis domesticis sub nomenclatione A. vel B. calamitosam ducere vitam, & ad extremum uxorem & proles in egestate relinquere; Miles, sit ille gregarius, vel officialis, ita parce habet omnia admensa, ut vix vivere possit; ergone isti promeriti sunt, ut tam malevolo oculo contemplerur exigua eorum beneficia, quæ illis tribuuntur, & forte tribui debent, si eorum existentia, & conservatio necessaria sit? Aut si te fortuna eorum conditionis tantopere pungit, cur non commutas tuam cum illorum sorte? Nullus dubita, liberum est unicuique sequi artificium, sequi militiam.

Si porro in civitate quæpiam officia pro administrandis negotiis publicis introducta sint, & inter necessaria referantur, non est integrum abjudicare illis ea civilia emolumenta, sine quibus non possunt subsistere, vel non essent efficacia. Ex his autem considerationibus clarum est, cum illis necessario connexos esse determinatos quospiam redditus, certam dignitatem, titulos, præcedentiam, & signa externa honoris; nisi enim officiis publicis certa stipendia assignentur, nemo ad ea se præparabit, nemo ea quæret; sine externa dignitate nemo suo officio rite fungetur; sine titulis, præcedentia, honorumque insignibus nemo præsertim apud homines sensibus assvetos debitam sibi conciliabit auctoritatem, nemo subditos ad obedi-

tiam compellet. Sacer curio, Superintendens, Episcopus; Signifer, Centurio, Tribunus, Bellidux; Judex pagi, Præfectus territorii, Consiliarius, & Minister debent non tantum ab iis, quibus præpositi sunt, sed etiam inter se, prout gradatim se invicem præcedunt, per varias denominationes, titulos, & honorum ornamenta distingui.

Si denique virtutes, & merita in civitate exiguntur; si cives ad ista comparanda animantur, si præsertim viros in officiis constitutos his alios præcellere oportet, profecto illis præmium debetur, & quidem jam majus, jam minus, quemadmodum vel majora, vel minora sunt eorum merita & virtutes. Præmissis igitur convenienter debent naturaliter etiam inter cives quæpiam externæ inæqualitates oriri quoad singularia commoda, & favores, sicut illi ipsi inter se differunt, non tantum ratione status, & officii, sed etiam ratione meritorum, ac virtutum. Ergo non dicantur hæ inæqualitates naturæ repugnare, habent enim in natura rerum suum fundamentum; non dicatur, eas a pertinacia duntaxat civitatum esse prognatas. Nulla civitas eas fingit pro arbitrio, sed veris, naturalibus, & prudentibus innixa motivis statuit.

Problema.

Cuidam Mathematicorum interroganti primum, quot annorum essem; deinde, quam-

diu Patrem in suo officio adjuvissem; in hunc modum respondi: Si utrumque inter se multiplicetur, erit factum 240; si autem quadratum secundi subtrahatur a quadrato primi, & differentia eleuetur ad secundam potentiam prodibit 226576.

Quæritur: Qua methodo potuerit Mathematicus responsum utriusque interrogationis eruere?

*Isacus Schuster
Francofurtensis Tabellarii filius.*

In eadem hac Officina Belnayana sequentes quoque libri prostant:

- Elisa, avagy millyennek kell lenni az Afzfonynak. 8. 1 fl. 30 kr. in Charta scriptoria 2 fl.
Historia Regni Hungariæ e probatissimis Scriptoribus synoptice deducta. Posonii 1804. 8. maj. 1 fl. 30 xr. script. 2 fl. 15 xr.
Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a' tapasztalatlan Ifjúfiág Hasznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 kr. Posta papirofira 3 fl. Fényes papirofira 6 fl. 40 xr.
Wieland, Téli Rege. 8. 20 kr.
Atala, vagy két Indus' szerelme a' Luizianai Pusztaikon. Kötve 1 fl. 8 kr. Posta papirofira 2 fl. Fényes papirofira 4 fl.
-